



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 509. Quibus modis finiatur fidejussio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)



piens, in hoc casu obligatus sit in idipsum, in quod se debitor nempe censuarius se obligavit; sed hic non obligavit se ad redimendum censum, sed ad solvendam pensionem, quousque censum redemerit; adeoque fidejussor ad hanc redemptionem cum obligare non potest, nec intentare ei exemptionem ab obligatione fidejussionis, quam voluntarie & sciens hanc contractus censualis naturam suscepit. His non obstante *cit. l. Lucius*, utpote intelligenda de obligatione momentanea & mora culpabili debitoris; & non de obligatione successiva, qualis est illa obligatio censualis, in qua nulla est mora debitoris, cum non teneatur redimere & ita docet Castrop. *loc. cit.*, cum citatis à se Felician. *tom. 2. lit. 3. de censib. c. 3. num. 9.* Roderic. *de re dit. l. 2. quest. 13. num. 18.* Extenditque hoc ipsum Castrop. *num. 6.* cum eodem Roderic. *loc. cit.* Felician. *loc. cit. num. 1.* & Gomes. *jun. tr. de censib. c. 3. condit. §. num. 21.* & aliis ad casum, quo se debitor obligasset pacto expresso ad fidejussorem servandum indemnem; eò quòd obligatio hæc contractui fidejussionis annexa sit; ideoque debitor ex illa tantum astringatur ad compensandum quodcunque detrimentum, quod occasione fidejussionis patitur fidejussor. E contra idipsum sic limitat. Castrop. *loc. cit. num. 1.* nisi fidejussor ab initio eum censuario convenerit, ut intra certum tempus censum redimat, qualiter licite pacisci potest, cum etsi obligatio redimendi censum à creditore imponi nequeat (quia hoc ipsum palliatam uturam continet, ut Castrop. *num. 3.* cum Rebell. Gomes. Roderic. Felician.) possit tamen initio imponi à fidejussore, ut Rebell. *de oblig. just. p. 2. l. 10. quest. §. concl. 6.* Gomes. *loc. cit. num. 20.* Roderic. *loc. cit. à num. 19.* alias hujus limitationes vide apud Castrop. *à num. 7.*

3. Secundus casus est, si debitor tempore fidejussionis incipit dilapidare sua, & hinc timendum; ne ita labatur bonis, ut non sit solvendo creditori. *cit. C. fin. §. l. Lucius* Pirh. *h. t. num. 18.* Wiestn. Lauterb. *LL. cit.* cum communi fidejussor enim, cui officium suum damnosum esse non debet, non tantum non damnus, sed etiam damni periculum subire non tenetur, unde ad evitandum illud petere potest liberationem, Secus tamen est, ubi ab initio fidejussionis sciente fidejussore cepit dilapidare bona. Gloss. *in l. si pro ea. c. mandati* Gail. *l. 2. obs. 29. num. 9.* Pirh. *cit. num. 18.* suscepisse enim tunc sponte in se censetur periculum, & juxta *l. 7. ff. qui satisd. cog.* non succurritur ei, qui se ultro nec necessitati exponit, sed neque, si post inchoatam dilapidationem debitor rediret ad frugem, antequam ad impotentiam solvendi ejusve periculum deveniat, poterit fidejussor, dum res est adhuc integra, petere liberationem. Barbof. *in cit. C. fin. num. 6.* citatis Tiraquell. Mantien. &c. uti etiam eam petere nequit, si dilapidatio est exigua, & non tanta, ex qua rationabiliter possit impotentia solvendi timeri.

4. Tertius casus: si fidejussor conventus & condemnatus ad solvendum pro debitore; aut etiam, dum vi instrumenti authentici confessionati pro condemnato habetur, potest illico, etiam antequam solvat agere apud & contra debitorem, ut se liberet à fidejussione servetque in demnem solvendo pro se. *c. fin. h. t. & l. 10. ff. mandati. & ibi Brunem. n. 2.* De Lugo, Menoch: Lauterb. *LL. cit.* Faber. *in Cod. l. 4. tit. 26. def. 26.* Gail. *loc. cit. num. 12.* Pirh. *h. t. num. 18.* quia perinde est, ac si solvisset; cum paratam habeat executionem. Un-

de etiam idipsum extenditur, ut etiam post conclusionem in causa, dum evidenter apparet, eum condemnandum, ante latam sententiam, petere possit liberationem; quia tunc habetur quasi pro jam condemnato. Barbof. *loc. cit. num. 9.* Menoch. *loc. cit. cas. 41. n. 19.* Pirh. *loc. cit.* nisi tamen fidejussore condemnato appellasset; cum per appellationem, si frivolata non sit, sententia suspendatur; vel nisi fidejussor sua culpa fuit condemnatus. Barbof. *à num. 11.* Pirh. *loc. cit.* addit etiam Lauterb. cum Fab. *loc. cit. def. 24.* quòd fidejussor condemnatus jure tunc petere possit (intellige, à Judice, qui eum condemnavit) ut bona debitoris capiantur, ex quibus creditori satisfiat; vel ad minimum petere dilationem, intra quam reo principali seu debitori denunciet, & requirat, ut solvat, pro quo citat Sichard. *ad athen. presente C. h. t. num. 10.* Menoch. *loc. cit. cas. 40.*

5. Quartus casus: sufficiens causa petendi liberationem est, si inter debitorem & fidejussorem capitales vel graves ortæ sint inimicitia (intellige culpa debitoris, secus, si culpa fidejussoris, qui aliis incipiendo litem aliame discordiam pro libitu se liberare posset) Barbof. *loc. cit. num. 14.* Surd. *de aliment. tit. 1. quest. 45. num. 73.* Pirh. *loc. cit.* Reiffenst. *num. 7.* Arg. *l. filius familias. §. fin. ff. de procur.*

6. Quintus casus: si fidejussor ex rationabili, puta, negotiationis, studiorum similive causa est profecturus aliò, diu non rediturus. Abb. *in C. fin. b. t. num. 4.* Barbof. *ibidem. num. 16.* Gail. *loc. cit. num. 15.* Pirh. *loc. cit.* Reiffenst. *num. 74.* Wiestn. *b. t. num. 30. in fine* Arg. *l. filiusfamil. l. 9. & 23. ff. eod.*

7. Sextus casus: si inter debitorem & fidejussorem conventum, ut eveniente certa condicione, vel elapso certo tempore liberetur fidejussor, Gloss. *in cit. C. fin. v. s. dno.* Barbof. *loc. cit.* Menoch. *loc. cit. cas. 41. num. 26.* Lugo, Pirh. Wiestn. *LL. cit.* contractus siquidem ex conventionem legem recipiunt. *l. 1. ff. depositi. & pacta justa servanda. l. penult. C. de pactis.*

### Quest. 509. Quibus modis finiatur fidejussio?

1. **R** Esp. extinguitur ea ferè modis sequentibus. Primò ipso jure extinguitur, extincta obligatione principalis, utpote cui est accessoria; V. g. solutione debiti. *l. 139. ff. de reg. jur.* sive ipse reus solverit, sive alii pro eo, etsi fidejussores non fuerint. Vel novatione (quæ est actus, quò vetus obligatio aboletur, & prius debitum in novam aliam obligationem transfunditur) facta à principali *l. 18. ff. de novat. l. 60. C. h. t.* Lauterb. *in ff. h. t. §. 60.* Struv. *in ff. h. t. ib. 47. Lit. µ.* Muller. *ibid.* cum nova obligatio etiam pignus liberet. *l. 18. ff. de novat.* & sit similis solutioni. Muller. *loc. cit.* qui tamen id limitat, ut procedat, si sit expressa novatio, non verò, si tantum sit præsumpta. Pro quo citat §. 3. *Inst. quib. mod. toll. oblig. l. fin. C. de novat.* Mascard. *de prob. concl. 1111. num. 1.* Gail. *l. 2. obs. 3. & 6.* Item acceptipilatione, (quæ est liberatio civilis aut imaginaria absolutio, quæ fit, quando creditor ad interrogationem debitoris, num acceptum habeat debitum, respondet, ita; & sic illud sua hac responsione ei remittit. Struv. *ad ff. de acceptipilat. ad initium*) quia hæc liberatus debitor solvissè dicitur. *l. 5. ff. de acceptipil.*

Zanger



Zanger. de except. p. 3. c. 5. n. 29. Muller. loc. cit. Item delegatione (quæ est, dum debitor vice sua alium debitorem creditori stipulanti solutionem promittentem substituit. Struv. in ff. de novat. & delegat. th. 62.) Muller. in ff. de fidejuss. th. 47. lit. B. An verò delegatione extinguatur debitum, dum substituitur delegatus, qui non est solvendo, controvertitur inter AA. pro ut videre est apud Muller. l. c. Spectando æquitatem negativa, in quam propendet Muller. citatis aliis, videtur probabilior, cum paria sint: omnino non fieri, & parum idoneè fieri, & obligatio inopis nulla censeatur. L. 6. ff. de dolo. Atque ita etiam finitur fidejussio, creditore à debitore, donec esse solvendo definat, cessante suâ culpâ petere debitum, ita ut postmodum creditor illud amplius à fidejussore consequi nequeat. L. 45. §. penult. ff. de solut. Carpz. p. 2. c. 19. def. 10. Lauterb. l. c. Fallit tamen hoc ipsum in minore, qui carens curatore, facilitate ætatis lapsus fidejussit, ac dein restitutus in integrum sua obligatione liberatur, eo, qui pro illo fidejussit, manente obligato juxta L. 13. ff. de minor. nisi tamen dolus intercesserit; cum auxilio Prætoris non tollatur planè obligatio, quæ civilis est; sed persona minoris eximitur obligationi. L. fin. ff. de duob. reis. ita Lauterb. l. c. Fallit quoque in debitore principali deportato, manente nimirum obligato ejus fidejussore juxta dicta supra.

2. Secundò mutatione judicii finitur obligatio fidejussoris, ut cum Hering. tr. de fidejuss. c. 20. §. 26. Lauterb. dum nimirum debitor principalis in una instantia fuit absolutus, etsi dein mutato actionis genere, in alia instantia fuit condemnatus, ut Lauterb. loc. c. ubi etiam cum Mevio p. 4. decis. 150. ait, quòd, si principalis gaudeat beneficio constitutionis Imperii, eodem gaudere possit fidejussor.

3. Tertio lapsu temporis, pro quo tantum expresse pacto vel protestatione, quòd ultra nolit, se obligavit fidejussor, prorogata obligatione debitoris. Struv. tr. 2. th. 47. lit. 2. Muller. ibidem, quo tamen casu obligatio fidejussoris non extinguitur ipso jure, sed exceptione pacti juxta L. 44. §. 1. ff. de O. & A. Lauterb. §. 61. modò tamen, ut Idem, creditor debitorem vel fidejussorem non interpellerit; cum morâ perpetuetur obligatio, vel fidejussor non consenserit, ut Carpz. p. 2. c. 19. def. 6. & 7. dixi: pacto expresse & protestatione, quòd non velit ulterius obligari. Nam tempore simpliciter tantum adjecto fidejussioni, & quidem tantum solutionis: ut post triennium solvam: eo elapso, adhuc fidejussor obligatus manet; cum per hanc prorogationem obligationis vinculum non solvatur, sed executio tantum differatur. L. 12. §. 14. ff. mandati. Struv. Muller. LL. cit. Lauterb. loc. cit. hanc tamen adjiciens limitationem: nisi fidejussor in instrumento fidejussionis sibi prospexerit protestatione: se nolle post tempus præfixum solutioni obligari. Eandem limitationem ponit Carpz. l. c. def. 6. apud Muller. l. cit. & ita eam extendit; ut licet in instrumento scriptum sit, fidejussorem tandiu obligatum esse debere, donec creditor de sorte & usuris satisfactum fuerit, is tamen, facta termini solvendi prorogatione, ulte-

rius non teneatur, si dictam protestationem subscriptioni suæ & sigillationi opposuerit, de quo vide Gail. L. 2. obs. 27. n. 24. uti & qualiter in casu prorogationis solutionis nihilominus fidejussor adhuc obligetur, vide apud Struv. l. c. à lit. n. & Muller. ibidem.

4. Quarto præscriptione; ubi nimirum intra 30. annos creditor neque debitor neque usurarius exegerit; cum tunc debitum remississe censeatur, L. 3. §. 7. §. 4. c. de prescript. 30. vel 40. annor. Lauterb. cit. §. 61. citatis Hering. cit. c. 20. §. 18. num. 12. & Mevio. p. 4. decis. 189. item Struv. ad ff. h. t. th. 47. lit. 2. & ibidem. Muller citato Gomez. var. resol. Tom. 2. c. 13. num. 20. & aliis. Quod ipsum tamen limitat sic Struv. l. c. ut procedat, si obligatio debitoris & fidejussoris uno eodemque tempore nata fuerit, ea perseveret etiam post præscriptum debitum principale, usque dum à tempore initæ fidejussionis fluxerit 30. anni, pro quo citat. Franc. de fidejuss. cap. 6. num. 86. Mev. p. 4. decis. 189. Quin & sentit. Muller. ibid. quòd etsi videantur duæ obligationes debitoris & fidejussoris, præscriptio tamen actionis fidejussoria non ante currat, quàm ab eo tempore, quò contra fidejussorem uti quis possit jure suo debebat (nimirum non solvendo debitore principali) & poterat, nec tamen utitur. Pro quo citat Mev. ubi ante. In eo verò, num interpellato interea debitore, fidejussor non interpellatus intra tempus longissimum præscriptionem suæ obligationis allegare possit, non convenit inter AA. negat Arg. L. fin. c. de duob. reis. Hering. tr. de fidejuss. l. c. c. 20. §. 18. num. 19. Contrarium apud eundem Struv. sentiunt Carpz. decis. illust. 34. Franc. l. c. n. 89. Idem cum Hering. sentire videtur Muller. l. c. lit. 1. ubi, quòd debitorem aut fidejussorem interpellatum esse sufficiat, nimirum (ut subintelligere videtur:) ad hoc ut fidejussor dictam præscriptionem allegare nequeat.

5. Quintò, si fidejussor succedat debitori in bonis tanquam illius hæres, obligatio ejus fidejussoria extinguitur de Lugo. de 7. & 7. d. 31. sect. 2. n. 22. Lauterb. §. 63. si tamen, pro ut hoc ipsum limitat de Lugo, obligatio fidejussoria erat creditori utilior quàm obligatio debitoris, ut si arctius vel intensius fidejussor obligabatur quàm debitor, perseveret obligatio fidejussoria quò ad illum excessum; uti idem tradit Lauterb. §. 63, citatis L. 95. §. 30. ff. de solut. Ciriac. L. 11. obs. c. 34. Carpz. p. 2. c. 18. d. 3. Brisson. de solut. &c. Sicut è contra, ut de Lugo, si debitor succedat fidejussori, manet obligatus utroque titulo, si obligatio fidejussoria utilis sit ad aliquid creditori, ad quòd servire non posset obligatio debitoris. Ita ille juxta L. hæres à debitore. §. quòd si hic. ff. de fidejuss. Unde etiam, etsi hæres non teneatur ultra vires hæreditatis facto inventario, poterit tamen adhuc teneri creditori ratione illius obligationis fidejussoria. De extero debitore mortuo, fidejussio regulariter non extinguitur, nisi statuto locati ita receptum. Lauterb. l. c. citatis. Vivio, Hahn, Hering. ubi ante. Qui etiam cit. c. 20. plures alios modos, quibus finitur fidejussio ad 40. congestit.